VIR GENEROSISSIME

Optime ac Venerande Praeceptor!

Pauca tantum prioribus meis litteris addo, dum his Sprögelii epistolam, tardius confectam includo. Nescio quid excusationis protulerit. Dicit se multos sibi emisse libros gallicos, varii generis, et in hoc consumsisse argentum. In sacchari copia se forte falli, et plus iusto esse annotatum. Sed certe in culpa est, nimis enim dulcedinem amat, et multum hanc ob caussam dudum a me severe exhortatus fuit.

Apportabitur ad Te per rhedam publicam Francofurto, et Wetzlaria ibidem, fasciculus et cistula, sub nomine Sprögelii; haec ~~...~~ ~~apud~~ Te serves rogo. Sunt enim in illis variae res, quas Berolinum transferre animus est, et quas hinc Gottingam transferri curavi. Sed nollem fasciculos hos aperire, sed clausos manere, quia res contentae ad me proprie non pertinent. Quare si necesse fuerit eos aperire, et visitari, si apud Te recipis, mallem potius, ut clausi in publico Postae domo permaneant et asserventur, donec eos me cum clausos recipio, quam ut ape-

riantur. Facile id efficere poteris, nam certe contenta Gottingae non permanent, sed Berolinum transferentur a me. Sunt imprimis icones et picturae a fratre meo et aliis collectae, quas amicis eas desiderantibus dabo. Serves itaque hos fasciculos rogo non solutos, donec aut ipse Gottingae eos abs Te accipere, aut in alium locum Gottinga transmissos meum sumere queam. Sedulo cavendum est, ne in humido loco haec posita sint, tum quae fasciculo tum quae cistula contenta sunt, quippe plura alias perire possent. Non inique feres, Optime Praeceptor, quod his Tibi molestus esse ausim. Nimium Tuae fido humanitati et in me, quamvis immerito, amori, quam ut ideo irasci mihi posses. Plurimam amicitiam optimus mihi monstrat Thierry, humanissimus homo, plurimum Te et reverenter amans, Teque valde salutans. Maximas Tibi gratias ago, qui tam bonum virum mihi hic amicum Tua commendatione dederis. Petity, quem vidi, diligentissimus est ac prudens homo, qui magis anatomiae insudavit, ac Ferreinii, quippe qui Chirurgo labores dissectionis relinquit. Multum anatomia et valde laborat, quippe et bon

docentes et cadavera et alia necessaria requisita desunt.
Levrety multum clamat, sed non aeque bene. portenta pro-
mittit, et multa nascitur, qui mos pluribus hic valde commu-
nis est. Melius tamen Levreto in Obstetricia arte
iudicat Petitus, certe bonus ac doctus vir, in lectione Colle-
giorum multum occupatus. Conventui Academiae Scientiarum
interfui, sed non placet nimia garrulitas, et perpetui
clamores. Nosocomia magna, nimis referta, male saepius
curata. Medici Delphini Regii fuerant Du Moulin
et Pousse, qui pro cura sua, quilibet 15000 tt argenti in donum et
quotannis 4000 tt argenti acceperunt, et familia Domini
Pousse nobilitata simul est. Valet enim nunc Delphinus
et multa hanc ob causam hic fiunt solemnia.
Miror, quod scripsisti, Winklerum redire. Turbas mo-
vebit, et vix poterit in pristina redire officia. Quid
de optimo Zinnio cogitas; eritne aliqua occasio eum
ex inquietudine sua eripiendi. Optarem sane —
Prodiit hic gallica translatio Primarum Linearum
Physiologiae Tuae, ut hodie mihi certo quis dixit;
crastino die videbo, et mittam si potero. Vale Optime
ac venerande Praeceptor cum Generosissima Familia Tua,
quam plurimum saluto ego, et favore ac amore Tuo

dignare: ...

Tui Venerandi Praeceptoris
Studiosissimum ac Nominis
Tui perpetuum Cultorem
J. F. Meckel

Parisiis
die 20. Augusti
1752.

Plurimum de Me Dnum Professorem Hollmannum salutet rogo, cui laetus annuntio, me vidisse hic Rhinocerota, comparasse dentem molarem quem mihi dedit simillimus est, et non nisi magnitudine differt. anteriores aeque magni, sed posteriores molares maiores sunt. Simillimi certe. Maiores Dnus Hollmannus apud se habet. XXVIII sunt huiusmodi dentium molarium brevium et lata corona donatorum in superiori et inferiori maxilla, et 4 incisivi latissimi, simillimi illi quem secum habet. 2. superiori, 2. inferiori maxilla insident ipse invicem duorum vel 3. pollicum distantia separatio. distantia eorum a molaribus 3 pollicum et. Exprimere figuram cera impossibile est, nam periculosum est immittere ori manus, conterit enim omnia inter dentes posita, neque depingi possunt quia nimis retrorsum reconditi dentes non nisi aliqua momenta temporis videri possunt dum os aperit ad panem capiendum. sed certissimus de similitudine dentium esse potest, certius enim inspexi.